

hæreditas defuncti, in qua merces commissæ fuerunt, quæque ex earum venditione, permutatione &c. intelligitur esse locupletior, eos inde non teneri, sed integram hæreditatem lucrari cum damno fisci. Equidem, cum possessores rebus publicatis & evictis regressum utique habituri essent contra hæredes, æquisimum est, si forte possessorum copia non sit, succurri fisco & jus in ipsos hæredes dari.

§. 47. Neque obstat *l. ult. §. pen. ff. eod.* quæ nihil de commissis loquitur, sed de vectigalibus eorumque pœnis; plures enim actiones pœnales *in d. tit. a Præatore concessæ sunt*, uti, si Publicanus, ejusque familia aliquid vi ademerit, aliæque *in l. 1. princ. ff. eod.* Item aliæ pro compescenda eorum audacia *in l. 12. §. 1. ff. eod. &c.* Hæ pœnæ, non dantur in hæredes *d. §. pen.* At ratione commissi, quod rei persecutionem continet, actio in eos quoque datur. Utrique juri præscribitur quinquennio, si interim mota quæstio non fuerit *l. 2. C. de Vect. & Comm.*

§. 48. Judicem in negotio vectigalium & commissi esse dicimus ordinarium ejus loci Magistratum, ubi fraudatio facta, etsi ab eo Principe constitutus sit, vel ejus etiam vices gerat, cujus vectigal fraudatum fuit. Non enim Princeps sola vectigalium commoda jure privato, sed ipsum vectigal jure regalis & territorialis potestatis habet, quæ continet omnimodam Jurisdictionem & potestatem cognoscendi de causâ. Atque ita jure civili hæ causæ fiscales cognoscuntur ab ipso procuratore Cæsaris, vel eo qui fisco Principis sui præpositus est. *tot. tit. C. ubi. Caus. Fisc. tot. tit. C. si adv. fisc. l. 1. princ. & §. 1. ff. de Off. Procur. l. 9. princ. ff. de Off. Procons. l. 1. C. de Off. cum rer. priv. l. 1. §. 2. C. de Off. Com. sac. pal. l. ult. §. 1. ff. de Publ. & Vect. l. 2. §. 32. in fin. ff. de Orig. Jur. l. pen. C. ubi caus. stat. &c.* Neque dici potest, quod Princeps in propria causa videatur jus dicere, quia non privatam, sed publicam ipsamque officii sui causam persequitur; quod fieri posse ostendit Celeberrimus Dn. PRÆSES in *Disp. de Judice in propria causa.* Potest tamen & solet hoc casu transmissio actorum peti atque concedi *teste Mev. P. 5. Decis. 323.* quæ latius persequi instituti mei compendium non patitur.

DISPUTATIO LXIV.

DE

SUCCESSIONIBUS REGUM ET PRINCIPUM FAMILIARUMQUE ILLUSTRUM.

Resp. BURCHARD. NEUKIRCH, Westphalo-Paderborn.

ANNO 1687.

THESIS I.

In Regnis & Principatibus naturali Jure non succedunt foeminae, sed soli ma-